

21ST LATIN SUMMER SCHOOL

19th-23rd JANUARY 2015 Education Building, University of Sydney

LEVEL 2B

Instructor: Alexander Westenberg



Monday

Anicius Manlius Severinus Boethius, *De Consolatione Philosophiae*, II, 3; 1-14

While imprisoned and awaiting his execution Boethius wrote the work for which he is most well known today, the Consolations of Philosophy. This is an excerpt from Book II, in which he is bemoaning his fate. Being something of a philosopher, the work is largely a discussion of how bad things can happen to good men.

His igitur si pro se te cum Fortuna loqueretur, quid profecto contra hisceres non haberes; aut si quid est, quo querelam tuam iure tuearis, proferas oportet. Dabimus dicendi locum.

Tum ego: Speciosa quidem ista sunt, inquam, oblitaque rhetoricae ac musicae melle dulcedinis tum tantum, cum audiuntur, oblectant, sed miseris malorum altior sensus est. Itaque cum haec auribus insonare desierint, insitus maeror animum praegravat.

Et illa: Ita est, inquit; haec enim nondum morbi tui remedia, sed adhuc contumacis adversum curationem doloris fomenta quaedam sunt. Nam quae in profundum sese penetrent cum tempestivum fuerit admovebo.

Verumtamen ne te existimari miserum velis, an numerum modumque tuae felicitatis oblitus es? Taceo quod desolatum parente summorum te virorum cura suscepit delectusque in affinitatem principum civitatis, quod pretiosissimum propinquitatis genus est, prius carus quam proximus esse coepisti. Quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum, cum coniugis pudore, tum masculae quoque prolis opportunitate praedicavit? Praetereo, libet enim praeterire communia, sumptas in adulescentia negatas senibus dignitates: ad singularem felicitatis tuae cumulum venire delectat. Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cum duos pariter consules liberos tuos domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti, cum eisdem in curia curules insidentibus tu regiae laudis orator ingenii gloriam facundiaeque meruisti, cum in circo duorum medius consulum circumfusae multitudinis exspectationem triumphali largitione satiasti? Dedisti, ut opinor, verba Fortunae, dum te illa demulcet, dum te ut delicias suas fovet. Munus, quod nulli umquam privato commodaverat, abstulisti. Visne igitur cum Fortuna calculum ponere? Nunc te primum liventi oculo praestrinxit. Si numerum

modumque laetorum tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non possis. Quodsi idcirco te fortunatum esse non aestimas, quoniam, quae tunc laeta videbantur, abierunt, non est, quod te miserum putes, quoniam, quae nunc creduntur maesta, praetereunt. An tu in hanc vitae scaenam nunc primum subitus hospesque venisti? Ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum ipsum saepe hominem velox hora dissolvat? Nam etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen vitae dies mors quaedam fortunae est etiam manentis. Quid igitur referre putas, tunc illam moriendo deseras an te illa fugiendo?

Hisco, ere (3)...to speak, utter, relate

Querela, ae (f)...a complain

Pregravo, are ...to weigh down, encumber

Contumax, acis (adj)...obstinate, unyielding

Moles, is (f)...a huge bulk (therefore a burden)

Largitio, onis (f)...a giving freely, profusion, largess

Livens, entis (adj)...envious, livid (from liveo, ere, to blush, to be envious)

Praestringo, ere (3)...to bind, compress

Velox, ocis (adj)...swift, quick

Tuesday

Gaius Plinius Caecilius Secundus (Plinius Minor), *Epistulae*, VI, 16; 11-20

This excerpt is taken from what is probably the most famous letter from Pliny the Younger, in which he details the eruption of Mt. Vesuvius, and the destruction of Pompeii. The selection I have chosen shows the rescue operation lead by Pliny's uncle, Pliny the Elder.

C. PLINIUS TACITO SUO S.

Iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior et densior; iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides; iam vadum subitum ruinaque montis litora obstantia. Cunctatus paulum an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti 'Fortes' inquit 'fortuna iuvat: Pomponianum pete.' Stabiis erat diremptus sinu medio — nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare infunditur -; ibi quamquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen et cum cresceret proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugae si contrarius ventus resedisset. Quo tunc avunculus meus secundissimo invectus, complectitur trepidantem consolatur hortatur, utque timorem eius sua securitate leniret, deferri in balineum iubet; lotus accubat cenat, aut hilaris aut — quod aeque magnum — similis hilari.

Interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimae flammae altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione ignes relictos desertasque villas per solitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit et quievit verissimo quidem somno; nam meatus animae, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis qui limini obversabantur audiebatur. Sed area ex qua diaeta adibatur ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior in cubiculo mora, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano ceterisque qui pervigilaverant reddit. In commune consultant, intra tecta subsistant an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur, quod tamen periculorum collatio elegit; et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt; id munimentum adversus incidentia fuit. Iam dies alibi, illic nox

omnibus noctibus nigrior densiorque; quam tamen faces multae variaque lumina solvebant. Placuit egredi in litus, et ex proximo adspicere, ecquid iam mare admitteret; quod adhuc vastum et adversum permanebat. Ibi super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam aquam poposcit hausitque.

Deinde flammae flammaramque praenuntius odor sulphuris alios in fugam vertunt, excitant illum. Innitens servolis duobus assurrexit et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho qui illi natura invalidus et angustus et frequenter aestuans erat. Ubi dies redditus — is ab eo quem novissime viderat tertius -, corpus inventum integrum illaesum opertumque ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior.

Cinis, eris (f. in sing., but m. in pl.)...ash

Ambustum, i (n.)...burnt, scorched (from aburo, ere (3), to burn, scorch)

Lapis, idis (m.)...a stone

Litus, oris (n.)...shore

Obstantia, ium (n. pl.)...hinderances, obstructions

Cunctatus, a, um...delayed, held back

Flecto, ere (3)...to bend, bow, curve, turn

Gubernator, oris (m.)...a steersman, pilot

Pomponianus, i...a name

Stabiae, arum (f.)...a small town near Pompeii, also destroyed in the eruption

Diremptus, a, um...separated, a separation (from dirimo, ere [3])

Circumago, ere (3)...to turn around, in a circle

Infundo, ere (3)...to pour in, upon, or into

Sarcina, ae (f.)...a burden, load

Resido, ere (2)...to sit back, remain, rest

Lenio, ire...to calm, soften, alleviate

Fulgor, oris (m.)...lightning, a flash of lightning

Quiesco, ere (3)...to rest, keep quiet

Agrestis, e (adj.)...pertaining to land, fields, country

Ardeo, ere (2)...to take fire, kindle, blaze

Limen, inis (n.)...threshold

Diaeta, ae (f.)...a dwelling, summer-house

Oppleo, ere (2)...to fill up

Exesor, oris (m.)...that which eats away

Wednesday

Publius Vergilius Maro (Virgil), *Eclogae*, IV; 1-17

Virgil's Eclogues were written in the middle of the first century B.C., and their publication achieved for Virgil his first great success; the ten poems that constitute the Eclogues were even recited in the theatre! The following excerpt is from the fourth Eclogue, which is probable the most famous. The mention of the Wonder-Child and the Virgin have been interpreted variously as a political prophecy, referring to the birth of Octavian (or others), or as a prophecy of Christianity.

Sicelides Musae, paulo maiora canamus.

non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;

si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;

magnus ab integro saeculorum nascitur ordo. 5

iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,

iam nova progenies caelo demittitur alto.

tu modo nascenti puero, quo ferrea primum

desinet ac toto surget gens aurea mundo,

casta fave Lucina; tuus iam regnat Apollo. 10

Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,

Pollio, et incipient magni procedere menses;

te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,

inrita perpetua solvent formidine terras.

ille deum vitam accipiet divisque videbit 15

permixtos heroas et ipse videbitur illis

pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

Sicelis, idis (f)...Sicily, Sicilian

Carmen, inis (n)...a song, poem, lyric

Arbustum, i (n)...orchard, grove

Progenies, ei (f)...descent, lineage, race

Myrica, ae (f)...tamarisk tree

Demitto, ere (3)...to send down, lower

Integro, are...to renew, begin again

Desino, ere (3)...to cease, desist

Faveo, ere (2)...to favour, befriend (takes the dative)

Castus, a, um...pure, chaste, spotless

Decus, oris (n.)...glory, splendour, beauty

Ineo, ire...to commence

Inritus, a, um...useless, void (more commonly *irritus, a, um*)

Herous, a, um...heroic

Pacatus, a, um...peaceful, calm

Thursday

Gaius Sallustius Crispus (Sallust), *Historiae*, Oration by Philippus

Sallust was an historian and friend of Julius Caesar, who, when he went into retirement, wrote several historical works, the best known being his history of the Catiline Conspiracy. This selection is from his record of a speech delivered in approximately 77 B.C. by Philippus against allowing Lepidus to become a consul twice (which was illegal).

Maxume vellem, patres conscripti, rem publicam quietam esse aut in periculis a promptissimo quoque defendi, denique prava incepta consultoribus noxae esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt et ab eis quos probibere magis decebat; postremo, quae pessimi et stultissimi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen quia Lepido placent, sumunda sunt, nisi forte cui pacem praestare et bellum pati consilium est.

[...]

Pessume omnium atque impudentissime, tibi egestas civium et luctus curae sunt? Cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam! Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris, bello concordiam quaeris quo parta disturbatur, nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum! Ut te neque hominum neque deorum pudet, quos per fidem aut periurio violasti!

[...]

Vos autem, patres conscripti, quo usque cunctando rem publicam intutam patiemini et verbis arma temptabitis? Dilectus advorsus vos

habiti, pecuniae publice et privatim extortae, praesidia deducta atque imposita, ex lubricitate leges imperantur, cum interim vos legatos et decreta paratis. Quanto mehercule avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, cum intellet se metu magis quam aequo et bono sustentatum.

[...]

Agite ut lubet, parate vobis Cethegi atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus adversum deos penatis manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomine et augete ingenium viris fortibus. Adest novus exercitus, ad hoc coloniae veterum militum, nobilitas omnis, duces optimi ; fortuna meliores sequitur; iam illa quae socordia nostra collecta sunt, dilabentur.

Volo, velle...to want, desire, wish

Noxa, ae...hurt, injury, punishment, crime

Decresco, ere, evi, cretum (3)...to decrease, diminish, dwindle

Sumunda...unusual gerundive of sumo, ere (3)—to take up, assume

Egestas, atis (f)...extreme poverty, want

Luctus, us (m)...sorrow, mourning

Redo, ere, didi, ditum (3)...to give back, return, restore, reply, give up

Infidus, a, um...faithless, treacherous

Pator, passus sum (3)...bear, suffer, allow (deponent)

Friday

Lubido, inis (f)...desire, lust, passion (more commonly libido, inis)

Sustento, are...to support

Lubet...it pleases, is agreeable (impersonal verb, more commonly libet)

Instauro, are...to renew, repeat, restore

Augeo, ere (2)...to increase, augment

Socordia, ae...inaction, turpor

Dilabor, lapsus (3)...fall apart, melt away, decay

Gaius Julius Caesar, *Commentariorum De Bello Civili*, III, 91

Caesar's De Bello Civili recounts his actions during the civil war of 49-48 B.C. between himself and Pompey and the Senate. This brief excerpt details the bravery of one of Caesar's soldiers.

Erat C. Crastinus evocatus in exercitu Caesaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione X duxerat, vir singulari virtute. Hic signo dato, "sequimini me," inquit, "manipulares mei qui fuistis, et vestro imperatori quam constituistis operam date. Unum hoc proelium superest; quo confecto et ille suam dignitatem et nos nostram libertatem recuperabimus." Simul respiciens Caesarem, "faciam," inquit, "hodie, imperator, ut aut vivo mihi aut mortuo gratias agas." Haec cum dixisset, primus ex dextro cornu procucurrit, atque eum electi milites circiter CXX voluntarii eiusdem cohortis sunt prosecuti.

Manipularis, e (adj.)...belonging to the same ranks

Constituo, ere (3)...to decide, establish, agree (upon)

Recupero, are...to regain, recover

Rutilius Claudius Namatianus, *De Reditu Suo*, I; 47-52

Namatianus was a later Imperial poet of the fifth century, who is best known for writing De Reditu Suo, an elegiac poem in which he describes a sea voyage from Gaul to Rome. The following six lines are among the most noble of the whole poem, and are a fitting way for us to end our week of readings.

Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
inter sidereos, Roma, recepta polos,
exaudi, genetrix hominum genetrixque deorum;

non procul a caelo per tua templa sumus. 50
Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus;
sospes nemo potest immemor esse tui.

Exaudio, ire...to hear, comply with, heed

Sidereus, a, um...relating to stars; starry, heavenly

Polus, i (m.)...heaven, sky

Sospes, itis (adj.)... safe and sound, unscathed